



1777, 3.
S V P E R
DECIS. SAXON. EL. XXII.

d. a. 1746.

DISSERTATIO

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

CONSENSV

P R A E S I D E

D. HENRICO GODOFREDO BAVERO

SERENISS. ELECT. SAXON. A CONSILL.
PROVOCATT. RELL.

D. VII. OCTOBR. A. C. MDCCLXXVII.

IN AVDITORIO ICTORVM

TVEBITVR

IOHANNES ERNESTVS KEIL

ZIZENS.

LIPSAE

EX OFFICINA LANGENHEMIA

98ⁿ

DEONT. Saxon. Bl. XXII

DISSEMINATIO

INSTITUTIONE

TRIPARTITA

INSTITUTIONE

INSTITUTIONE

INSTITUTIONE

INSTITUTIONE

INSTITUTIONE





I. N. D.



§. I.

In tuendo summo naturae praecepto, quod suum cuique tribuere iubet, studiosissimam semper fuisse Saxoniam nostram, testatur ius antiquum, et loquitur nouum. Ut fere, in quibuscunque exemplis nouum ius ab antiquo recesserit, hanc ipsam ob causam recessisse, oculis cernere valeas. Est vero hoc studium non solum in fulciendo et confirmando iure, quod perfectum dicunt, sed imperfecto etiam augendo, muniendo, et quoad fieri possit, quasi in perfectum transformando conspicuum. Si quidem huc pertinent omnes illae cautiones, quibus patrocinari studet prouida Legislatorum cura miseris, contra malorum artes, qui aliorum egestate ad corradendas opes pessime abutuntur.

§. II.

Inter has etiam locum inuenire potest pactum antichreticum, quo creditor, legitimarum vsurarum loco, fundi oppignorati sibi stipulatur fructus, eorumque inaequalitatis obtentu, reddendarum rationum, consentiente debito-

* 2

re

re, molestiam fugere studet. Equidem, de fructuum ex fundo pignurato perceptorum cum vsuris ex mutua pecunia debitis compensatione, quid iure Romano statuendum sit, ex ipsis legibus melius, quam prudentum interpretatione, dignosci posse existimo.

§. III.

De tacitae quidem antichreseos natura satis ex *l. 8. D. in quib. caus. pign.* liquet, etsi Ictus breuitatis studio eo prolapsus est, vt facile videri possit sibi ipse contradixisse. Siquidem gratuita pecunia debitor profecto haud vitur, quem pati oportet, creditorem de fructibus rei sibi pignorate ad modum legitimum vsuras retinere. Est igitur gratuita pecunia Icto, (quoniam contractus mutui sua natura gratuitus est) quoties de foenore nihil expressè conuenit. Quo facto pecuniae mutuo acceptae vsum remunerare debitor fructibus rei pignorate velle censetur, legesque hanc remunerandi veniam ad modum legitimarum vsurarum restringunt. Ex qua restrictione simul necessitas oritur, reddendi rationes; et, quoad fructus vsuras excedunt, cum sorte ipsa compensandi. Docemur itaque, si quid video, hoc PAVLI responso, regulam iuris, quae mutuum nobis contractum gratuitum insinuat, exceptionem pati, quoties debitor rem frugiferam pignori dedit.

§. IV.

Quodsi vero, ex me quaeras, facultas creditori concessa, fructus ex praesumpto vel potius tacito debitoris consensu vsurarum loco retinendi, et obligatio ei imposita, excessum fructuum in sortem imputandi, an ex aduerso ius tribuat,

tribuat, petendi, quod legitimis vsuris in fructibus desit, id quidem secundum iuris ciuilis rationem affirmare non ausim. Sic enim accepimus, vsuras esse rem inuidiosam, ad certum tamen modum, ne desint auxilia egentibus, permissam. Hinc, leuiore legitimis vsuras stipulari, liberale et gloriosum, grauiore, turpe et prohibitum. Quae prohibitio ne fructuum surrogatione in antichresi eludatur, hinc necessitas, reddendi rationes, quantumque deductis vsuris legitimis superest, de sorte detrahendi. Contra. Quoniam vsurae sunt iuris, vt ita dicam, non praeceptiui, sed permissiui, quod in fructuum aestimatione ad quantum vsurarum reuocata deest, ex qua causa peti possit, nulla huius rei facta promissione, non video. Serenissimus Saxoniae nostrae Electoralis Legislator, aequitatis studio ductus, ne minus creditori fauere videatur, quam debitori, petendi veniam largitus est, si non a creditore facta huius petitionis renunciatio. Cuius tamen renunciationis in antichresi tacita, quae sua natura conuentionem de fructuum in vsuras perceptione excludit, exemplum vix vnquam obueniet.

§. V.

De pacto antichretico existimo, iure ciuili distinguendum esse inter fructus certos et incertos. Hos propter incertos prouentus vsurarum loco posse tribui, nihilque referre, si vsuras superent, modo excessus non sit immodicus. Immodicus vero si iudici possit probari, cuius est, de ea re decernere, excessum vel in sortem imputare, vel, hac reddita, repetere licere. Illos contra, certos videlicet fructus, omnino aequales legitimis vsuris esse debere, vt remittere quidem debitori liceat, nequaquam, duriozem ei conditionem imponere. En praeceptorum

summam ex variis iuris ciuilibus locis coactam, eandemque totidem fere controuersis vexatam.

§. VI

Siquidem, quod mireris, non desunt, qui, quod supra vsuras est in fructibus incertis, creditori largiantur *l. 17. C. de usur.* eidemque ius tribuunt petendi, vt, quod deest, suppleatur. v. MENCKEN *Lib. XIII. Tit. VII. §. 3.* quo loco simul praeiudicio firmatam testatur hanc sententiam, qua profecto cogitari potest nihil, quod a vero et a iuris aequitatisque ratione longius aberret. Vt potius, quia aequum est, iurique consentaneum, vt incommoda is ferat, quem commoda sequuntur, alterius anni sterilitas cum alterius ybertate debeat compensari, adeoque creditori, qui excessum sibi retinet, defectus fructuum non displicere. v. DONNELL. *ad cit. l. 17. C. de usur.* Quemadmodum vero immodicus excessus debitoris lucro cedit, damnum ex defectu immodico creditori natum refarcire obligatur. Dein nec in eo conspirant interpretes, qualis demum excessus habendus sit immodicus. Aliis hanc rem ad *l. 2. C. de rescind. vendit.* normam reuocantibus, aliis contra, meo iudicio recte, minorem etiam excessum immodicum aestimantibus, arbitrantibusque, iudicis esse super ea re iudicare. Has et et plures, quas recensere singulas non attinet, praecidit omnes sapientissimus aequitatisque studiosissimus Legislator nostra *Decisione* lites, dum, sublato illo, inter tacitam et expressam antichresin, discrimine, certosque ac incertos fructus, (quae itidem differentia non parum difficultatis habet,) creditorem omnino iubet, rationes reddere, quodque, deductis legitimis vsuris, plus est in fructibus, debitori reddere, vel in sortis deminutionem imputare, data simul, quantum deest, exigendi copia.

§. VII

§. VII.

Generatim rationes reddere lex nostra iubet, nihilque de aestimatione fructuum constituit. Neque est, quod mireris, modum in Decis. Ilda praescriptum huc non repeti. Haec enim iniustum, nostra iustum, possessorem ante oculos habet. Huius arbitrium in re possessa liberius esse debet, quam illius. Adeoque, quod exemplo sit, locatio permitti, modo iusta mercede fiat, ut ultra mercedem constitutam non teneatur, etsi forte suscepta fundi pignoratione administratione maiores proventus capere potuisset. Siquidem is defectus ad impensas fructuum pertinet. Contra, qua dominus potitur, abutendi licentiam, caue creditori tribuas. Hic, dum alieno nomine possidet, (quippe romanorum et nostro iure dominium pignoris datione non mutatur, *Part. II. Const. XXI.*) quemadmodum bonum patrem familias decet, uti, et, si quid contra vel committendo, vel omitendo, damni dederit, resarcire obligatur. Hanc vim esse puto *l. 3. C. de pignorat. act. verbis; creditor - - fructus, quos percepit, vel percipere debuit, in rationem exonerandi debiti computare necesse habet.* Quae lex, quoniam nostra decisione abrogata non est, ad nos pertinet.

§. VIII.

Aequè persuasum habeo, legis *14. C. de usur.* adplicationi haud obstare nostram decisionem. Proponitur exemplum creditoris, qui vice usurarum domum inhabitauerit, non locando domum pensionem receperit, nihilque referre rescribit Imperator, licet uberiore sorte potuerit contrahi locatio, nec enim illicitum foenus contractum, sed vilis conductam videri habitationem. Quamvis enim per indirectum idem consequatur creditor, ac si usuras ultram
dum



dum legibus statutum percepisset, iisque iustam pensionem pro aedibus conductis soluisset, et ob id speciosior videatur Imperatoris declaratio, quam verior, tamen, quia leges nouae strictissimam interpretationem exigunt, in proposito exemplo sola lege 2da *C. de rescind. vendit.* debitori succurri posse existimo, nisi suspicio adfit, in fraudem legis hoc inuolucro usum fuisse creditorem. Quam sententiam magis etiam mihi persuadet vltima pars nostrae decisionis, quae retrouentionis pactum non quidem omnino excludit, vel ad normam *ἀντιχρήσεως* reducit, tamen, si constat, malo, superandi legitimas vsuras, animo conflatum esse, illud nullum esse, vel a iudice confirmatum rescindi iubet Serenissimus Legislator, data simul ob fraudis indicia iudicii venia, imposito malitiae iureiurando creditorem, vt veritatem confiteatur, compellendi.

T A N T V M.



Leipzig, Diss., 1777 A-0

ULB Halle

004 568 583



3

fb
sb:



Inches
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow


Red

Magenta

White

3/Color

Black



1777, 3.

PER
XON. EL. XXII.

a. 1746.

ERTATIO

QVAM

CTORVM ORDINIS

ONSENSV

RESIDE

ODOFREDO BAVERO

CT. SAXON. A CONSILL.
OCATT. RELL.

R. A. C. MDCCLXXVII.

ORIO ICTORVM

EBITVR

ERNESTVS KEIL

ZIZENS.

IPSIAE

NA LANGENHEMIA

